

# MARCI LITTAE

IVRECONSULTI

DE VRBE MEDIOLANENSI

LIBELLVS.



VNVNINIHIL, DVOS



PLVRIMVM POSSE.

MEDIOLANI.

APVD MOSCHENIOS.

M. D. LIIII.



ALAN  
IVR  
DE VRIE

1700  
1701  
1702  
1703  
1704  
1705  
1706  
1707  
1708  
1709  
1710  
1711  
1712  
1713  
1714  
1715  
1716  
1717  
1718  
1719  
1720  
1721  
1722  
1723  
1724  
1725  
1726  
1727  
1728  
1729  
1730  
1731  
1732  
1733  
1734  
1735  
1736  
1737  
1738  
1739  
1740  
1741  
1742  
1743  
1744  
1745  
1746  
1747  
1748  
1749  
1750  
1751  
1752  
1753  
1754  
1755  
1756  
1757  
1758  
1759  
1760  
1761  
1762  
1763  
1764  
1765  
1766  
1767  
1768  
1769  
1770  
1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800



AMPLISSIMO AC INTEGERRIMO  
viro Petro Paulo Arrigono Mediola-  
nensis Senatus Præsidi Illustris,

Marcus Litra Iureconsultus

S. D.



LLVD Mibi semper  
faciendum existimaui, uir ex-  
cellentissime, ut iuris civilis  
prudentiæ humaniorum quoq;  
literarum cognitionem adiungerem, idque  
maximorum, præstantissimorumq; uirorum  
exemplo. Nanque & Modestinus unus ex  
illis ueteribus iureconsultis multum in arte  
poëtica ualuit, & ex nostris Iason orator  
quoque præclarus fuit, ac in aliarum scien-  
tiarum cognitione præstans, & Andreas  
Alciatus nõ minus fere honoris, gloriæ,  
laudis, famæ, ex humanioribus literis conse-  
cutus est, quã ex ipsa iuris civilis prudentiã.  
Te quoq; uir amplissime ab his studijs non

A 2 alienum



alienū esse scio. Hic autem noster libellus,  
quem antequam doctoratus dignitatem assu-  
merem, succisuis horis conscripsi, de urbe  
nostra Mediolanensi tractat: illumque nūc  
splendidissimo nomini tuo dico, ac consecro.  
Cum enim ea, quæ ingenio cuduntur, ad pro-  
batissimos, amplissimosque viros mitti so-  
leant, ego te delegi, cuius tantum splendo-  
rem, tantam uirtutem, tantam ingenij, men-  
tisque excellentiam esse uideo, ut te merito  
diuinum uirum appellandum existimem.  
Tu enim admirabili consilio, prudentia, iu-  
stitia, grauitate, sapientia Mediolanense  
hoc imperium regis: tu optime Ciceronis  
illud præceptum obseruas, qui in secundo li-  
bro de officijs inquit, hi qui rempublicā tue-  
buntur, in primis operam dabunt, ut iuris,  
& iudiciorum æquitate suum quisque teneat,  
ut neque tenuiores propter imbecillitatem  
circun-



3

circumueniantur, neque locupletibus ad sua  
uel tuenda, uel recuperanda obsit inuidia.  
Tu etiã in omnibus rebus, & causis ita te  
geris, ut merito sapientis nomine sis appel-  
landus; possumque uerissime de te dicere  
elegantes illos lyrici poëtæ uersus.

Est animus tibi

Rerumque prudens, & secundis

Temporibus dubijsque rectus,

Vindex auaræ fraudis, & abstinens

Ducentis ad se cuncta pecuniæ.

Tibi etiam tantam in hanc urbem charita-  
tem esse uidemus, quantam uir optimus in  
patriam habere debet; & propterea hunc  
libellum, quo urbis, patriæque nostræ lau-  
des complexus sum, tibi maxime dicandum  
esse existimaui. Hoc igitur qualecūque mu-  
nus nostrum læta fronte, benignoque animo  
suscipe, ac tuere. Vale.

A 3





Quantum patriæ suæ quisq; debeat, quantaque illam charitate prosequi teneatur, maximorum virorum testimonia, autoritatesque facile demonstrant. Nanque Cicero libro primo de officijs inquit, chari sunt liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Et Plato Architeꝯ Tarentino scribens inquit, non solum nobis natos nos esse, sed ortus nostri partem patriam vindicare, partem parentes, partem amicos, cuius sententiæ meminit Cicero eodem libro primo de officijs. & Horatius ait. *Dulce & decorum est pro patria mori.*

Maxime propterea celebrantur apud Romanos Decij, qui pro patria obire non timuerunt, maxime laudatur Atheniensium rex Codrus, qui vt patriam incolumem conseruaret, mori non dubitauit, maxime extolluntur duo illi fratres Phileni Chartaginienses, qui pro patria se viuos terra obrui passi sunt. Ego igitur saltem scribendo de patria bene mereri volui, ideoque hunc libellum aggressus sum, in quo  
de vrbe



de vrbe Mediolanensi tractatur, quem cum ego bono, sinceroque animo scripserim, non est quod quisquam Bioneis sermonibus, & sale nigro, vt ille inquit, aduersus me insurgat. Illud autem manifestum est, antiquitati plurimum ab omnibus tribui, magnamque illius venerationem esse, propterea in primis non omittenda videtur recordatio antiquitatis vr-  
bis Mediolanensis, simulque etiam eius prin-  
cipium, atque origo demonstrabitur.



**C**RIP TVM est in vetustis-  
simis annalibus post sumner-  
sam generali diluuió terram,  
Tubal filium Iaphet, ac Nöe  
nepotem ex Scythia in Italiam  
profectum esse, atque occupasse omnem hanc  
regionem, quæ inter Tarætum, ac Padum sita  
est, quam deinde inter filios suos, qui plures  
numero erant, nepotesque diuisit. Cum autem  
hunc Tubal maxime delectaret huius regio-  
nis amenitas, quæ hodie Longobardia dicitur,  
in ea vicum extruxit, qui ab eo Subria nomi-  
natus est. Defuncto Tubal, eius loco successit  
Messapus nepos, qui ab eius nomine vicum  
illum Messapiam dixit, multumque laborauit,

A 4 vt pri



vt pristinum nomen Subriæ aboleret, verum  
illud nunquam consequi potuit. Longo tem-  
pore post Hetrusci Appeninum superarunt,  
subactisque omnibus locis, Subriam quoque  
post multa, longaque prælia ipsorum potestati  
subiecere, illamque etiam deprædati sunt, atque  
igne consumpserunt, omnibus eius incolis  
interfectis. In hac regione diu sedes suas ha-  
buere Hetrusci, sed cum deinde in hæc loca Be-  
louesius dux Gallorum peruenisset, Hetruscos  
eiecit, cum illos apud Ticinum non procul ab  
ipsa Subria deuicisset. Hic Belouesius Subriam  
ipsam restituit, ac maxime amplificauit, rede-  
gitque ad formam splendidæ, ac præclaræ vr-  
bis: illam nanque muro circundedit, qui lati-  
tudine in vigintiquatuor pedes extendeba-  
tur, & altitudine ad sexaginta quatuor excre-  
scebat, atque in ipso muro erexit centum tri-  
ginta turres latitudine, atque altitudine admi-  
rabiles, multa quoque alia ampla, & magnifica  
ædificia posuit, quibus rebus peractis Beloue-  
sius sese regem horum locorum constituit,  
hicque dominatus est annis quadraginta, cui  
successit Segouesius eius filius, hocque accidit  
annis septingentis ante aduentum filij Dei,  
vt ex ipsis annalibus clare demonstratur. Eius  
igitur



5

igitur loci, qui Subria dicebatur, quemque Be-  
louesius tanta ædificiorum pulchritudine or-  
nauerat, ipse inquam Belouesius nomen mu-  
tauit, dixitque Mediolanum: hocque nomen  
inde sumptum traditur, quoniam Belouesio a  
dñs mandatum fuerat, vt ibi urbem statueret,  
vbi lanigeram suam partim albam, ac partim  
nigram inuenisset: propterea inuenta hic sue,  
vrbs condita fuit, hocque nomen impositum:  
atque hæc & ex annalibus patent, & optime  
relata sunt a Leandro Bononiensi in descri-  
ptione Italiae. Multæ quoque aliæ opinio-  
nes fuerunt, cur dictum sit Mediolanum.  
Nanque Andreas Alciatus iureconsultus cla-  
rissimus inde dictum fuisse inquit Mediola-  
num a Medel voce Celtica, quæ puellam signi-  
ficat, & Lano, quod terram denotat, tanquam  
terra puellæ, hoc est, Mineræ, quæ ibi summa  
religione, singularique obseruantia colebatur,  
cuius deinde tēplum diuæ Theclæ dicatū fuit,  
hoc vero tēpore solo æquatū est: & ita ipse Al-  
ciatus de hac re huiusmodi epigramma scripsit.

*Bituricis ueruex, Heduis dat sucula signum:*

*His populis patriæ debita origo meæ est,  
Quam Mediolanum sacram dixere puellæ*

*Terram, nam uetus hoc Gallica lingua sonat.*

A 5

Culta



*Culta Minerva fuit, nunc est ubi numine Thecla  
Mutato, matris uirginis ante domum.*

*Laniger huic signum sus est, animalque biforme,  
Acribus hinc setis, lanitio inde leui.*

Cato quoque in originibus suis alia de causa Mediolanum dictum fuisse inquit: nam primo appellatum esse scribit Olanum ab Olano Tuschorum duce, qui hic vna cum Orobijs sedes posuit, sed eiecto Olano ex hisce locis, a Gal-  
lis Insubribus, quorum dux erat Medus, præpositum fuit nomen Medi priori nomini, appellatumq; Mediolanum. Legitur etiam apud Ioannem Rauisium textorem, Mediolanum dictum fuisse, eo quod in eius fundamentis iaciendis, dum excuarentur fossæ, sus dimidiatim lanata in terræ visceribus inuenta fuerit: & ad hoc allusit Claudianus de nuptijs Honorij, & Mariæ scribens.

*Continuo sublime uolans ad moenia Gallis  
Condita, lanigeræ suis ostentantia pellem,  
Peruenit.*

*Et etiam Sidonius, dum inquit,  
Rura paludicolæ temnis populosa Rauenæ,  
Et quæ lanigero de sue nomen habet.*

Ex his igitur cognita est antiquitas vrbis Mediolani, quam statim post diluuium, originem habuisse



habuisse constat. Ex his clarum est, quam no-  
 bile principium huius vrbis fuerit, quæ a Be-  
 louesio Rege exædificata est. ex his etiã cuili-  
 bet perspectum est, cum diuino interueniente  
 præcepto extructa fuerit, oportere semper, vt  
 magna felicitate floreat. & propterea non mi-  
 rum, si in loco tanta amœnitate insigni hanc vr-  
 bem positam videamus. Nam in eius agro om-  
 nia largissime colliguntur, quæ & ad necessa-  
 rios vsus hominum, & ad delicias pertinent:  
 & ad ipsam vrbem facile ex omnibus vicinis  
 ciuitatibus, ac ex tota Gallia Cisalpina quæ-  
 cunque ad victum hominum pertinentia im-  
 portari possunt. Nō omittenda est etiam aëris  
 equitas, atque temperies vrbis Mediolanensis,  
 qua illa maxime commendanda esse videtur:  
 multum autem in moderato aëre positum esse,  
 & ad corporum prosperam, integramque va-  
 letudinem, & ad ingeniorum subtilitatem,  
 atque acumen res est clarissima. Cum ex illa  
 potissimum causa epidimiam oriri manifestum  
 sit, quando aër corruptus, atque infectus est:  
 ac inter doctos constat, quod Attici homines  
 acutiori essent ingenio, quare & Atticus lepos  
 in prouerbum abiit, crassiores vero, magisque  
 ad bellum apti Thebani, id ex eo factum esse,  
 quod



quod illorum vrbis subtilior aër, horum vero  
esset crassior. Neque vero prætermittendus est  
maximus vrbis Mediolanensis ambitus, cum  
ad septem millia passuum ipsum circuitum per  
uenire manifestum sit: & tamen in ipsa vrbe  
domus frequentissimæ sunt, adeo vt nulla pars  
vel ædificiis, vel habitatoribus careat: imo &  
illud maxime vrbi Mediolanensi attributum  
est, vt ingentem populum capiat, & propterea  
proprio epitheto populosa appelletur: tanta  
enim hominum multitudo, tantusque splendi  
dissimorum ciuium numerus in ea inhabitat,  
vt res omnino mirabilis videatur: id vero acci  
dit, quod quicumque paulo longiori tempore  
in hac vrbe fuerint, eius amore capti, propter  
rerum omnium vbertatem, omni ratione co  
nantur ab ea non discedere: quare quotidie  
noua ædificia extruuntur, vrbs augetur, ci  
uium numerus ampliatur. Habet quoque Me  
diolanum suburbia, quorum aliqua pluribus  
magnis Italiae ciuitatibus possent comparari.  
Circūdant etiam ipsam urbem aquæ, quibus  
ex diuersis locis ad eam vehuntur rerum om  
nium, & mercium genera. Superfluum est di  
cere de admirabili copia rerum, quibus hæc  
maxima vrbs abundat, cum istud omnes cla  
rissime.



rissime intelligant. Quid vero dicā de tot ornatissimis, ac magnificentissimis deorum phanibus: quorum in vrbe Mediolanensi maximus est numerus, quæ omni ornamentorū genere, ac copia sunt expolita, quibus quicquid inueniri potest ad extollendum diuinum numen, augendamque dei gloriam, id omne adhibitum est, in quibus nullæ desunt egregiæ imagines, non aræ omni artificio constitutæ, non argentea atque aurea deorum simulachra, non pulcherrima signa, non marmorea altaria, marmoreæque statuæ, & inter cætera in sacro diui Ambrosii templo conspicitur auratum, gemmatumque altare estimationis vigintiocto millium florenorum aureorum, quod ab Angiberto Pusterla Archiepiscopo Mediolanensi, propriis ipsius sumptibus fuit extructum, sub quo in profundo puteo quatuor sustentatum ferreis catenis positum est corpus gloriosissimi Mediolanensium patroni diui Ambrosii, vt in prima parte historiarum suarum attestatur Bernardinus Corius. In his etiam templis vrbis Mediolanensis non deficiunt splendidissima vasa, ex auro, pretiosissimisque metallis conflata: sunt artificiosissimæ picturæ, quibus pulchriores formare non potuisset Apelles, vel



vel Neacles, vel Prothogenes, quos omnes in  
pingendi studio prestitisse accepimus. Quid  
deinde dicam de tot præclarissimis sepulchris?  
quæ in his templis posita sunt, in quibus præ-  
stantissimorum virorum iacent corpora, quæ  
quanto sumptu, ac labore perfecta fuerint,  
non satis explicari potest, videntur enim mar-  
morea sepulchra, omni arte sculpta, ac expo-  
lita, quibus elegantiora non potuisset Alchi-  
menides, aut Praxiteles absoluerè, viri in scul-  
pendi arte peritissimi. Sed tacebo ego, cum de  
Mediolanensis vr̄bis sacris ædibus verba fa-  
ciam, illud templum maximum, quod cuius-  
cunque id viderit, animum incredibili afficit  
admiratione: Quid tantos labores cōmemo-  
rem, qui in eo p̄ficiendo impenduntur? Quid  
innumerabilem hominum multitudinem, qui  
quotidie in rebus, quæ ad ipsum pertinent, ma-  
gnis laboribus vrgentur? Quid molē ipsam,  
& structuram, quæ solum ex candidis marmo-  
ribus constat? & ideo non dubitant clarissimi  
scriptores affirmare, pauca in toto terrarum  
orbe templa videri posse, quæ huic sint com-  
paranda: propterea hoc ipsum inter orbis mi-  
racula, sicut olim Dianæ Ephesię tēplum, me-  
rito connumerari posset. Illud autem maximū  
vr̄bis



vrbis Mediolanensis xenodochium quis vn-  
 quā satis laudare poterit? Quid enim magis  
 pium, magis religiosum, magis gratum immor-  
 tali illi deo fieri potuit, quam hunc locum  
 constituere, in quo tanta inopum, tanta affli-  
 ctorum, tanta ægrotorum multitudo alatur,  
 atque ad salutem reuocetur? Si locus hic nō sit  
 laudandus, neque res quædam magna existi-  
 manda, quid velle, quid a nobis petere deum  
 immortalem putabimus? In hoc loco maximus  
 est numerus puerorum, iuuenum, virorum,  
 senum, quos grauibus morbis, atque aduersa  
 valetudine oppressos ille alit suis sumptibus,  
 ille si fieri potest, ad salutem, atque incolumi-  
 tatem reducere conatur. Non desunt ministri,  
 qui illis victum parent, atque afferant: nihil  
 omittitur, quo illi egere possint. Peritissimos  
 Medicos habent, qui quo quisque morbo la-  
 bore, diligenter intelligant: & hi quicquid præ-  
 ceperint, vt ægrotantibus detur, aut fiat, id ac-  
 curatissime perficitur. Nulli rei, nulli pecuniæ,  
 nulli labori parcitur, vt possit quilibet pristinā  
 salutē recipere. Quid hoc fieri potest lauda-  
 bilius? quid reperiri honestius? quid institui  
 præclarius? Præter hoc autem maximum xe-  
 nodochium, multa quoque alia xenodochia  
 Medic-



Mediolani cernuntur, quibus singulis præscriptum est, quo morbo laborantes accipiant, atque alant, ac omnia experiantur, vt quemlibet ad bonam valetudinem reuocent. In his nihil desiderari potest, quod ad necessarios ægrotorum vsus pertineat: ita fit, vt qui se & a fortunæ bonis destitutos, & amissam vident corporis firmitatem, habeant, quo miseras suas solentur, ne forte sublato hoc bono, sine vlla ope, morbi asperitate, atque fame, nimis infeliciter diem obire cogerentur. Legitur etiã apud Bernardinum Corium in prima parte historiæ suarum, temporibus suis adeo creuisse elemosinas xenodochiis, ac Christi pauperibus relictas a multis principibus, nobilibusquæ viris Mediolanensibus, vt ad summam redditus quinquaginta millium ducatorum singulo anno peruenirent, præter multa, latissimaquæ prædia diuersis monasteriis legata, plurimum autem illam quoque summam excreuisse a temporibus Corii, qui floruit regnante Ludouico Sfortia, vsque ad tempestatem nostram credendum est. Admirandum quoque opus est in vrbe Mediolanensi ille locus, qui nomine sancti Gregorii appellatur, quod & ipsum in vsus pauperum ac miserabilium



9  
lium personarum extructum est. Quid vero  
dicam de magnis, ac insignibus ædificiis nobi-  
lissimorum ciuium, quæ Mediolani cernuntur,  
maximis sumptibus, multisquæ laboribus ex-  
tructis: Hæc nemo est, q̄ videat, quin singulari  
admiratione afficiatur. Neq̄ pauca sunt eius-  
modi, sed innumerabilia, in quibus nihil om-  
nino est prætermissum, quod ad ornāmētum,  
decorum, voluptatemquæ spectare videatur:  
& in primis nullo modo præterire conuenit  
ipsam curiam, opus amplissimum, & maxime  
laudandum, quam Paulus Iouius extructam  
fuisse inquit ab Actio Vicecomite Mediola-  
nensi principe, ad cuius emulationem Ioannes  
Vicecomes Archiepiscopus insigne illud ædi-  
ficium extruxit, vbi hodie sedem Archiepisco-  
palem positam esse videmus. In ea vero Actii  
curia agitur de salute, atque incolumitate non  
solum vrbis, sed etiam totius imperii Medio-  
lanensis. In ea Illustrissimus Senatus cuilibet  
petēti ius dicit, ac de omnibus rebus, & causis,  
quæ & ad priuatam, & publicam pertinent  
vtilitatem, prudentissime decernit. In ea multi  
alii magistratus consulunt saluti, atque ampli-  
tudini totius ciuitatis. In ea habitant præfecti  
ipsius vrbis, qui ad administrationem missi  
B fuerint



fuerint. Quibus vero verbis extollam illum  
celebrem vrbis Mediolanensis locum, quem  
Græco vocabulo Buleuterium appellant, in  
quo, vt ipsum nomen declarat, de controuer-  
siis, rebusque incertis consulitur? Hic vero lo-  
cus extructus fuit a Matthæo Magno Vice-  
comite Mediolanensi principe, qui etiam ma-  
gistratum ibi constituit duodecim pruden-  
tissimorum virorum, quibus curæ esset, & ne-  
gotiatorum lites dirimere, & prouidere, vt  
annona iusto pretio distrahatur. In hoc eodem  
loco est illud egregium, ac illustre iure consul-  
torum collegium, apud omnes Italiae ciuitates  
in magna autoritate positum, quod viris ple-  
num est virtute, doctrina, nobilitate, probi-  
tate, sapientia, fideque clarissimis. Hoc etiam  
in loco multi alii sunt magistratus, qui diligen-  
tissime prouident, ne quid detrimenti patiatur  
ciuitas, ac inter ipsos ciues controuerfias, li-  
tesque componunt. Eum etiam in locum in-  
numerum negotiatores conueniunt, qui ex diuer-  
fis vrbibus, & remotissimis locis proficiscun-  
tur, vt suos inter se contractus ineant. Et ne  
quid desiderari possit, viri illi prudentes, qui  
republicam Mediolanensem administran-  
dam suscipiunt, egregios in literarum studiis  
VIROS



viros eligunt, eosque amplis honorariis allu-  
 ciunt, qui eo in loco publicè probatissimos,  
 atque optimos scriptores adolescentibus inter-  
 pretentur, vt iuuentus Mediolanensis variis  
 disciplinis, bonarumque artium cognitione  
 perfectissime instruatur. Quid vero dicendum  
 est de magna, & insigni arce vrbis Mediola-  
 nensis? quam cum a populo Mediolanensi in  
 libertate constituto solo æquata fuisset, Fran-  
 ciscus Sfortia primus princeps prudentissimus  
 ad firmamentum imperii, admirabili artificio  
 extruxit: hanc vero rerum scriptores primam  
 inter oēs Europæ arces esse affirmant. Non  
 ne eiusmodi structura composita est, vt nisi  
 compulsi fuerint longa rerum inopia & fame  
 defensores, fieri nō possit, vt hostes alia ratione  
 eam obtineant, sed semper desperanda sit vi-  
 ctoria? Et quidem ad hanc vsque diem arcem  
 istam nunquam vi captam fuisse constat, sed  
 tantum ex defectu rerum ad victum pertinen-  
 tium. Et profectò quicumque tantam hanc mo-  
 lem aspexerit, necesse est illum maxima admi-  
 ratione affici. Quid autem maius, aut insignius  
 esse potest, quam illi muri, quibus vrbis Medio-  
 lanensis, annis superioribus, circumdari cœpit,  
 & nunc magna ex parte perfecti sunt? cum

B 2 nuncq̃



nunquam cesset infinitus magistrorum, ac operariorum numerus: Hi qui administrationi urbis, & imperii Mediolanensis præfunt, statuerunt ipsam urbem omni artificio munitissimam, ac inexpugnabilem reddere, & propterea voluerunt illam muros insuperabiles, tanquam *τείχεα σεμίγραμδος* habere, qui omnem exercituum, ac tormentorum vim contemnere possent. Itaque res felicissime progressa est, omniaque magno rerum ordine conficiuntur, ciuesque ipsius urbis nobilissimi, ac potentissimi, diligentissime curant, ut quæ ipsi operi adhibentur, optima sint, & lectissima: quare fateri oportet, ubi muri isti ad coronidem peruenerint, quod breui futurum est, nullam fore in tota Italia urbem adeo munitam, quæ cum hac conferenda sit: illudque vere affirmare licebit, nunquam futurum, ut hostes hac urbe vi potiri possint. Et ideo sicut hæc urbs Carolo Quinto Imperatori maximo fidelissima semper fuit, ita nunc maxime horum murorum præsidio tuta Philippum Regem inuictissimum ipsius Caroli filium defendet, illique debitam in omnibus fidem seruabit, quem quidem dominum, ac ducem sibi datum urbs Mediolanensis maxime lætatur. Sub hoc etenim principe, quem  
admodum



admodum etiam sub Carolo patre, omnia sibi feliciter successura sperat: in quo paternam iustitiam, paternam sapientiam, paternam magnanimitatem, paternasque virtutes omnes refulgere cuncti perspiciunt. Nolo autem commemorare maximam artificum multitudinem, atque diuersitatem, qui in vrbe Mediolanensi conspiciuntur: qua in re paucas huic comparari posse ipsi etiam scriptores testantur: ex quo facile est virorum Mediolanensium solertiam, atque industriam cognoscere, cum suæ quisque rei, suoque labori intentus sit, atque omnes otium tanquam rem turpissimam euitent. Illud autem notissimum est, Mediolanum totius Insubriæ caput, & metropolim esse. Hic enim consistunt præfecti, qui ad administrationem Imperij Mediolanensis mittuntur. Hic Senatus rigorem æquitate summa cum iustitia temperat. Hic quæstores principis reddituum curam habentes sedem habent, propterea Mediolanum ad iura accipienda veniunt populi harum ciuitatum, Placentiæ, Ticini, Cremonæ, Nouariæ, Noui Comi, Alexandriæ, Laudæ Pompeiæ, Derthonæ, Vigliueni, Bobij, omniumque locorum, qui sub territoriis harum ciuitatum comprehenduntur: quod



quidem magnum esse putandum est, cum omnes hæc ciuitates insignes sint nobilitate, antiquitate, potentia, opibus. Quid enim Placentiæ deest ad summam amplitudinem; quæ fuit colonia Romanorum, ad quam deducta fuerunt sex millia hominum, inter quos plurimi erant equites Romani, nunc vero nobilitate ciuium, ac diuitiis maxime abundat. Quid Cremonæ deest, vt non inter magnas, & insignes vrbes connumeranda sit; quæ & ipsa Romanorum colonia est, & primo extructam ferunt ab Hercule, qui hac iter faciens immensis viribus Gigantem deuicit, & in victoriæ memoriam erexit hanc urbem: nunc vero est & opulentissima, & celeberrima. Quid Ticino deest, vt non maxime vrbis nomen mereatur; ubi olim Gothorum, Longobardorumque reges sedes suas posuerant: nunc est publicum gymnasium omni scientiarum genere florens, ad quod confluit non solum ex tota Italia, sed etiam ex aliis prouinciis infinita iuuenum multitudo ad bonas artes perdiscendas: constitutumque fuit hoc gymnasium a Carolo quarto imperatore, anno salutis millesimo trecentesimo sexagesimo primo, precibus Galeatii secundi, & Barnabæ Vicecomitum, vt Corius scribit



scribit. Quid Nouo Como deest? Quid Lau-  
 dæ Pompeiæ? Quid aliis supra enumeratis  
 ciuitatibus? & hæ omnes imperio Mediola-  
 nensi subditæ sunt, ipsumque Mediolanum me-  
 tropolim habent, & caput. Alias autem multo  
 maius, atque latius fuisse imperium Mediola-  
 nense res est manifestissima: siquidem cum  
 Matthæus Magnus Vicecomes Mediolani  
 principis officio fungebatur, Tridinum, Ber-  
 gomum, Vercellæ imperio Mediolanensi sub-  
 ditæ erant: Luchino autem Vicecomite impe-  
 rante, Parma, Asta, Alba Pompeia, Crema,  
 atque Brixia Mediolano parebant: & cum Lu-  
 chino fratri successisset Ioānes Vicecomes Ar-  
 chiepiscopus, ipsæ fraternæ ditioni addidit Ge-  
 nuam, atq; Bononiam: deinde vero cum Ioan-  
 nes Galeatius ducis dignitatem suscepisset, ex-  
 pulso Antonio Scaligero, Veronæ, ac eiectis  
 Carrariensibus, Patauii dñs effectus est. Vicen-  
 tia quoque, Rhegium Lepidi, Tridentum,  
 Pisæ, ab ipso Ioanne Galeatio imperio Medio-  
 lanensi adiectæ sunt. Florentiam quoque ea  
 ratione obsedit, vt nisi immatura morte occu-  
 buisset, illa breui esset potiturus: & simul cum  
 istis ciuitatibus, illæ quoque principibus Me-  
 diolanensibus obtemperabant, quas hodie

B 4 quoq;



quoque Mediolanum tanquam caput habere  
superius diximus, scilicet, Placentia, Ticinum,  
Cremona, Nouaria, Nouum Comum, Ale-  
xandria, Derthona, Lauda Pompeia, Vigliue-  
num, Bobium, Multa quoque alia loca impe-  
rio Mediolanensi obtemperabant, quorum, &  
Corius, & alii historici meminerunt. Quod  
autem vrbs Mediolanensis in omni tempore  
maxime excelluerit, ex eo clarissime cognosci  
potest: nam & olim eam totius Insubrię caput,  
& metropolim fuisse Strabo libro quinto te-  
statur est, his verbis, Insubres hac in ætate  
sunt, qui Mediolanum metropolim habent.  
Et Plutarchus in vita Marcelli maiori cum lau-  
de vrbs Mediolanensis meminit, inquit,  
Per id tempus aduersum Gallos infeliciter di-  
micantem ad Mediolanum amplissimam qui-  
dem, & populosissimam Gallię urbem, quam  
Galli metropolim appellantes, pro ea strenue  
præliantes obsidione circumuenerant. Mani-  
festum est etiam, hanc urbem antiquitus, pro-  
pter eius amplitudinem, Romanam secundam  
esse appellatam, & eius nominis autor fuit Ga-  
binius Romanus Senator, qui Mediolanum  
ad præfecturam eius vrbs missus fuerat: &  
ipse ad Romanam portam in marmore versus  
istos



istos iussit inscribi, qui, quamquã non satis elegantes videantur, hoc tamen loco referri non alienum est.

*Dic homo qui transis, dum portæ limina tangis,  
Roma secunda uale, mundi caput imperiale.  
Urbs ueneranda nimis, plenissima rebus opimis,  
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes:  
In bello Thebas, in sensu uincis Athenas.*

Hæc deinde carmina Galeatius secundus princeps Mediolanensis Papiæ super pontem fluminis Ticini in marmore insculpi iussit. Idem quoque Gabinius Mediolani theatrum construxit in eo loco, ubi hodie templum diui Victoris ad theatrum cernitur. Idem circum ædificauit, ubi hodie sunt sacratissimæ ædes diuæ Mariæ ad circum. Idem thermas extruxit summo ingenio, atque artificio, in quibus diuissimæ masculi, & foeminæ lauabantur. Erat quoque Mediolani capitolium, quod Neruam imperatorem extruxisse Corius scribit, ibique est hodie templum diui Saluatoris, quod nomen a diuo Barnaba impositum fuit. Cingebatur quoque Mediolanum duplici muro, munitumque erat centum firmissimis turribus: & hæc omnia pulcherrima, admirandaque ædificia diruta fuerunt, cum mandato Friderici

B 5 Impera-



Imperatoris Mediolanum euersum est. Ipse enim Fridericus dicebat, se maximum thesaurum videre, qui validissima turri custodiebatur, qua manente, non posse quenquam ipso thesauro potiri. Thesaurum esse aiebat Italiam, turrem autem Mediolanum, & ideo se Italiae imperium assequi non posse, nisi Mediolanum euertisset. Mediolani quoque poetarum principem Vergilium philosophiae studiis operam dedisse legitur. Mediolani etiam diuus Augustinus, antequam Christianam fidem sequeretur, relicta Roma, artem oratoriam docuit. Huius etiam urbis veterem potentiam demonstrare voluit Ausonius poeta Burdegalensis, qui cum maximas totius mundi ciuitates recenseret, Mediolano septimum locum attribuit, ipsumque anteposuit Capuae, Aquileiae, Vienae, Athenis, Syraculis, Tholossae, Narboni: conscripsitque hos versus.

*Et Mediolani mira omnia, copia rerum,  
Innumerae, cultaeque domus, foecunda uirorum  
Ingenia, antiqui mores, tum duplici muro  
Amplificata loci species, populique uoluptas  
Circus, & inclusi moles cuneata theatri,  
Templa, palatinaeque arces, opulensque moneta,  
Et regio Herculei celebris sub honore lauacri,  
Cunctaque*



*Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,  
 Moeniaque in ualli formam circumdata limbo,  
 Omnia quæ magnis operum uelut æmula formis  
 Excellunt, nec iuncta premit uicinia Romæ.*

Præterea etiam vetus urbis Mediolanensis maiestas ex his intelligi potest: tunc enim cum Romanum imperium florebat, Mediolano dominabantur Galli Insubres, quorum rex erat Viridomarus, aduersus quem missi fuerunt a Romano senatu M. Marcellus, & C. Cornelius, consules, qui cum Gallis Insubribus congressi, ipsos superauerunt, eorum rege Viridomaro interfecto: tuncque Mediolanum in Romanorum ditionem peruenit, ac sub ea diu perseuerauit: ita ut multi ex Romanis imperatoribus Mediolani sedes haberent, & propter loci amœnitatem, qua maxime delectabantur, & propter commodum, quod proueniebat, quoties vel cum Gallis, vel cum Germanis bellum gerendum esset: quare sæpius Iulium Cæsarem hic constituisse, & Neruam, apud scriptores legitur. Traianum vero Cæsarem ita delectabat Mediolani esse, ut ibi ornatissimum, amplissimumque palatium extruxerit: & Maximianus Herculeus Cæsar Mediolani sedes habuit, erexitque insigne templum, quod Herculi



culi dicauerat, hodie vero diuo Laurentio sa-  
cratum est, Iuxta hoc templum ab eo consti-  
tutæ fuerunt sexdecim marmoreæ columnæ,  
quibus superstruxit maximum in vsus impera-  
torum palatium, quod deinde exustum fuisse  
Merula libro primo scribit: nunc vero etiam  
conspiciuntur colūnæ, Plurimum quoque de-  
lectabat Philippum, ac post eum Constanti-  
num, Constantium, Iouinianum, Valentem,  
Valentinianum, ac Theodosium Romanos  
Imperatores in vrbe Mediolanensi esse, Ipse  
vero Theodosius, cum Mediolani floreret san-  
ctissimus vir Ambrosius, Mediolanensibus do-  
nauit vnum ex clavis, quibus clementissimus  
dei filius Christus cruci affixus est, Ex eo quoq̃  
demonstratur urbem Mediolanensem apud  
veteres maximę autoritatis, & potentię fuisse:  
nanque ex annalibus intelligitur, defuncto Ri-  
chimere, qui a Iuniore Theodosio ad admini-  
strationem Italiæ missus fuerat, Diocletianum  
virum Mediolanensem regem Italiæ creatum  
fuisse, cui Theodorus Archiepiscopus regia  
insignia contulit in templo diui Ambrosii,  
Hicque Diocletianus Gallos, & Germanos,  
qui Italiam inuadere conabantur, sæpius bello  
superavit: eo autem defuncto, constitutus fuit  
rex



rex Italiae Maximianus Comes Mediolanensis, accepto ab eodem Theodoro Mediolanensi Archiepiscopo regio diademate: & hic insigni victoria potitus est aduersus Alexium Pannoniae regem, qui in Italiam irrumperere tentauerat. Illud quoque non mediocre est argumentum maiestatis Mediolani: cum apud historicos legatur, tempore Othonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis in hac vrbe fuisse centum iureconsultos, & annumerata centum quinquaginta millia hominum, inter quos duo erant, alter animi virtute, alter corporis viribus admirabiles, Obertus Crucius, & Gulielmus Pusterla. Ille tanto robore valebat, vt validissimum equum in medio cursu reprimeret, nec vltius progredi pateretur: iumentum quoque frumento onustum sustinebat, & vno tantummodo pede stantem nullus quantumcunque fortis poterat submouere. Gulielmus vero Pusterla tanto a natura ingenio praeditus fuerat, vt quamuis nihil vnquam praeter prima grammatices rudimenta didicisset, omnem tamen causam, ac controversiam dirimeret, tanta iustitia, tantaque aequitate, vt nihil posset ab vilo iureconsulto addi, minui, opponi: & propterea cum Bononiae praeturam gereret, omnes

iuris



iuris ciuilibus periti eius ingenij magnitudinem summe admirabantur. Tempore quoque Napi Turriani principis Mediolanensis annumerata fuerunt Mediolani triginta millia hominum, qui bello, ac armis tractandis habiles erant. Neque vero illud prætermittendum est, quod non modicum spectat ad maiestatem vrbis Mediolanensis: namque oportet eum qui electus fuerit Romanorum imperator, Mediolani ferream coronam accipere ea de causa, quæ a multis probatur, quia eum, qui Italiam subigere tentat, & maxime Mediolano imperare, oportet ferro sibi ad hoc aperire viam: primusque hoc instituit Theodoricus rex Gothorum, quem Constantinopolitanus Imperator in Italiam gubernandam miserat. Cumque interfectus esset Odoacer Erulorum rex, qui Italiae imperium arripuerat, ipse Theodoricus sese regem Italiae constituit, voluitque Mediolani ferream coronam sibi imponi, & quamuis alij aliter hanc rem explicent, hæc tamen verior videtur sententia. Aliter enim Merula libro secundo historiarum, & Corius dicunt, dum inquirunt primo iustitutam fuisse hanc ferream coronam a Carolo Magno, post internecionem Longobardorum, Desideriumque eorum regem



regem captum, idque fecisse Carolum Magnū, ut aliqua in parte populis satisfaceret Insu-  
brīæ, utque hi existimarent aliquid se habere præcipuum, propter quod non viderentur ab imperatoribus negligi, qui tunc temporis in Gallia morabantur, nec non etiam hoc statutum fuisse ferunt a Carolo Magno, tanquam indicium pristini Italiæ imperij, & quia ipsi populi Italiæ reges suos apud se habere consueuerant. Aliter quoque Blondus libro ter-  
tiodecimo historiarum scribit: inquit enim hoc primò constitutum fuisse a Gregorio quinto pontifice maximo, siue ab Othono primo imperatore, siue a primis Romani imperij electoribus, ut quicumque rex Germaniæ creatus fuisset, dum Romam proficiscitur pro confirmatione decreti sibi imperij, ferream coronam Mediolani susciperet. Prima tamen opinio magis amplectenda videtur, quia post Theodoricum sequentes Italiæ reges Mediolani ferream coronam ab Archiepiscopo accepisse legitur. Itaque & Alaricus Theodorici nepos hanc coronam in templo diui Ambrosii assumpsit, ac post eum Vitiges, Ildouardus, ac Totilas nouissimus rex Gothorum: perduto vero Gothorum regno, cum annis septuaginta duobus



bus Italiae imperassent, Longobardi ex Scania insula, quae est in mari Germanico posita, sese in Italiam contulerunt, fueruntque ita appellati a longitudine barbarum, quibus uti consueuerant. Cum igitur maiorem Italiae partem armis subegissent, Alboinus eorum rex Mediolanum ad ferream coronam accipiendam venit ex priscae consuetudinis instituto: idemque factum est a Clephe, qui post Alboini interitum Longobardorum regnum administravit: idem etiam obseruauerunt sequentes multi Longobardorum reges, qui regio illo insigni Mediolani ornabantur. Neque me latet apud iureconsultos legi, argentea corona, non ferrea imperatores Modoetiae coronari solere, sed cum historici omnes ferream coronam esse, non argenteam, affirmant, quae Mediolani ab imperatoribus assumatur, ego magis ipsis historicis in arte sua credendum existimo. Illud quoque maiestatem urbis Mediolanensis aperitissime indicat, habet enim Mediolanum cum amplissimum, tum abundantissimum rerum omnium territorium, & in eius comitatu comprehenduntur multa oppida, & castra magna, & nobilia, quae plurimis Italiae ciuitatibus possent conferri, & tamen ipsa ciuitatis titulum non ha-



non habent. Inter cetera autem Modoëtia anti-  
 quitate, & nobilitate maxime conspicua est,  
 quam Theodoricum primum Gothorum re-  
 gem maxime ampliaste historici scribunt.

Theodolina vero regina erexit insigne tem-  
 plum diuo Ioanni sacratum, quod multis pre-  
 tiolissimis donis locupletauit, quorum aliqua  
 hodie quoque videntur. Ab eadem quoque  
 regina ædificatum ibidem fuit amplissimum  
 palatium, in quo deinde Longobardorum re-  
 ges habitasse traditur. Cum Modoëtia sedes  
 suas posuissent, longo quoque tempore obser-  
 uatum est, vt Cæsares, qui in Germania electi  
 fuerant, cum Mediolanum profecti essent, in  
 hoc Modoëtia oppido ab Archiepiscopo Me-  
 diolanensi ferreæ coronæ insigni ornarentur.  
 Est quoque in territorio Mediolanensi cele-  
 bre oppidum Albiate, cuius meminit Merula  
 libro quinto historiarum, quod propter re-  
 rum omnium copiam, proprio epitheto vulgò  
 Abbiatum grassum appellatur. Habet hoc  
 oppidum arcem munitissimam, populumquæ  
 frequentem, & opulentum. Maxime quoque  
 celebrantur in agro Mediolanensi Briantici  
 colles, propter vinorum excellentiam, quæ in  
 his locis largissime proferuntur; hæc autem

C

vina



vina inter optima, quæ in tota Italia inueniri possint, annumerantur, habenturque apud omnes magno in pretio. Ita autem Briantici colles appellati fuerunt a Græco verbo *βριάω*, quod latine significat extollo, propter locorum eminentiam. Aliqui quoque existimauerunt Briantiorum collium nomen deductum fuisse a Græca dictione *βρίμος*, quæ fortem denotat, propterea quod illorum locorum incolæ corporis robore valeant. Ego autem me legisse memini apud quendam autorem, qui citat annales Chisermi vetustissimi scriptoris, apud Brianticos colles olim fuisse amplissimam urbem, quæ Briantia dicebatur, a Græco verbo *βρίω*, quod Latine sonat abundo: ibi enim omnium rerum, quæ ad victum hominum pertinent, maxima erat vbertas, & eam a Spartanis extructam fuisse inquit, & ab ea omnem illam regionem nomen accepisse. Est etiam in territorio Mediolanensi celeberrimum illum virginis dei matris templum, quod in montanis est, quo ex diuersis, ac longinquis regionibus infinita hominum multitudo confluit, qui auxilium a clementissima dei matre postulant. Non equidem satis explicari potest, quanta in veneratione, ac cultu sanctissimum illud delubrum



delubrum habeatur, cum omni tempore frequentissimam gentem ibi esse manifestum sit, quæ causa rei sacræ illuc proficiscitur. Omnes enim, qui aliquo corporis morbo vexantur, aut qui magnam aliquam animi molestiam sentiunt, non dubitant summa spe inducti, templum illud inuisere: quoniam piissima dei mater petentium misereri, afflictos sustinere, calamitosis succurrere, omnibus opem ferre consuevit. Præterea non modicum spectat ad maiestatem vr̄bis Mediolanensis nobilissimarum familiarum dignitas, quarum in hac ciuitate maxima est copia, ex quibus clarissimi, ac præstantissimi viri prodierunt. Protulit enim Mediolanum viros, qui singulari virtute famam immortalẽ, gloriam, honores, non solum in Italia, sed in toto terrarum orbe sibi parauerunt. Namque Alexander secundus pontifex maximus ex familia Badaggiorum Mediolanensis fuit, Urbanus tertius pontifex maximus ex familia Cribellorum Mediolanensis fuit, Cælestinus quartus pontifex maximus ex familia Castellioneorum Mediolanensis fuit. Prouenerunt ex eadem vr̄be Simon Borfanus, Ioannes Antonius ex familia sancti Georgii, qui cardinalis Alexandrinus dicitur, Brandas Ca

C 2 das Ca



das Castellioneus, Scaramutius, atque Augustinus Triultij, Iacobus Simoneta, Ascanius Sfortia, atque alij innumerabiles Romanæ ecclesiæ cardinales. Nunc etiam Romæ maximam hanc dignitatem obtinent Ioannes Moronus, atque Angelus Medicus, viri prudentissimi, atque eruditissimi, qui a Paulo tertio pontifice maximo cardinales creati fuerunt. Prouenerunt etiam ex hac vrbe multi insignes Archiepiscopi, vt Angibertus Pusterla, Landulfus Scrofatus, Anselmus Pusterla, Milo Cardanus, Obertus Tertiagus, Philippus Lampugnanus, Obertus Pirouanus, Otho Vicecomes, Ioannes Vicecomes, Robertus Vicecomes, Ioannes Arcimboldus, qui etiam cardinalis fuit, Guido Antonius Arcimboldus, aliique plurimi, quos Mediolani sedi archiepiscopali præfuisse clarissime cõstat, vt etiam apud Bernardinum Corium in historiis suis legere licet. Hodie vero Mediolani in archiepiscopali dignitate constitutus est Ioannes Angelus Arcimboldus, vir quidem religione, pietate, iustitia, sapientia, omnique virtutum genere clarissimus. Mediolano quoq; patria orti sunt & qui Romanum imperium administrare, scilicet, Didius Iulianus, vt apud Dionem scri



19

nem scriptum est, & Maximianus Herculus, qui ex Seprio castro olim celebri in comitatu Mediolanensi oriundus fuit, vt Corius attestatur. Augusta quoque fuit Blancha Maria Galeatii Sfortię principis Mediolanensis filia, quæ coniugem habuit Maximianum summū Romanorum imperatorem. Quid vero ego dicam de illustri, celebriq̄ue familia Vicecomitum: quæ Mediolani antiquitate, ac nobilitate excellit, ex qua tanquam ex equo Troiano innumerabiles proceres, ac Mediolanensis imperii principes prodierunt. Cur autem Vicecomites dicti fuerint, causam tradit Merula libro quinto historiarum: prius enim Anglerię Comites erant, atque dicebantur, sed cum Fridericus Imperator Mediolanum evertisset, quotcunque ex illis Anglerię Comitibus capi potuerunt, iussit interfici: solusque superfuit Viuianus, qui metu percitus Bononiam se cōtulit: huius vero posterius nescio qua de causa diminuto titulo, non Comitum, sed Vicecomitum nomine sese appellarunt. Aliam quoq̄ rationem, cur Vicecomites dicti fuerint, Bernardinus Corius recenset. Inquit enim olim vrbi Mediolanensi specialiter ab imperatoria maiestate concessum fuisse, vt duos consules

C

3

eligerēt



eligerent, qui non ducibus ab Imperatore missis, quemadmodum alię Italię ciuitates, parere cogerentur, sed ipsi solummodo imperatori: hosque consules scribit propter officii societatem Comites appellatos fuisse, quorum alter militaria negotia sustinebat, hicque proprie Comes dicebatur, alter iuri dicendo præerat, ad eumque pertinebat fontibus pœnas infligere, hicque Vicecomes appellabatur: quod si contigisset Comitem, qui rei militaris curam gerebat, vel mortem obire, vel morbo, vel qua alia ex causa impediri, eius officio Vicecomes fungebatur: & hi magistratus vel ad annum conferebantur, vel ad minus tempus, ne potestatis amplitudine quisquam nimis efferri posset: & hanc Corii rationem magis verisimilem esse arbitror. Insigne autem illustris huius familię Vicecomitum est vipera, cū octo reuolutionibus, in ore retinens hominem, cuius a corpore pellis abscissa est. Hoc autem insigne comparauit Otho Vicecomes, vir magni animi, militarisque disciplinæ peritissimus. Iste dux electus fuerat septem millium virorum Mediolanensium, qui aduersus Turcas ad recuperationem regni Hierosolymitani proficiebantur. In illa igitur expeditione, cum quidam

Transior



Transiordanus princeps nomine Volux, vir ferox, armatus exisset, cuius insigne erat vipera, septem tantum reuolutiones habens, prouocaretque ad singulare certamen, Otho Vicecomes se obtulit, illumque deuicit, ac ab hoste victo spolia referens, viperæ insigne sibi, posteritati que suæ comparauit, & ad decus ipsius Othonis addita fuit octaua reuolutio. Et sicut olim hoste Gallo deuicto, detractaque illi torque aurea Torquatus sibi nomen, familiæ que suæ imposuit, ita Otho Vicecomes viperæ insigni se ipsum, ac posteros exornauit. Vt igitur a Matthæo Magno Vicecomite initium summam, hunc Arnolphus Cæsar vicarium ipsius constituit in tota Insubria, voluitque, vt in insignibus suis aquila vteretur. Multa loca, multæque ciuitates a Matthæo subactæ fuerunt, multa quoque bella feliciter confecit, quare merito Magnus appellatus est, illique Henricus sextus imperator, cum Mediolani, pro veteri instituto, ferream coronam suscepisset, equestrem dignitatem contulit. Cum autem septuaginta duos ætatis suæ annos Matthæus Magnus ageret, vita decessit, relictis hisce liberis, Galeatio, qui eo nomine ex frequenti gallo rum cantu appellatus est, Actio, Marco, Luciano



chino, Ioanne Archiepiscopo, & Stephano, Dominatum autem obtinuit Galeatius, princeps bellica virtute clarissimus, post cuius obitum, Ludouicus Bauarus Cæsar ipsius vicarium constituit Actium Vicecomitem, Galeatij fratrem, quem virum fuisse prudentissimum scriptores tradunt, & propterea multum ab eo auctum fuisse Mediolanense imperium. Actio successere Luchinus, & Ioannes Archiepiscopus Vicecomites, post quorum obitum Mediolanense imperium delatum est ad Matthæum, Barnabam, & Galeatium secundum Vicecomites. Cum autem in Ticinensi vrbe annum agens quinquagesimum nonum, Galeatius secundus decesisset, ei successit Ioannes Galeatius filius, qui vxore ducta Isabella Gallorum regis filia, virtutum Comes appellatus est, accepto in dotem eo comitatu. Hic primus ex Vicecomitum familia legitimum Mediolanensis ducis titulum obtinuit a Vincislao Cæsare: hic multas ac maximas ciuitates subegit: hic denique paratis regijs ornamentis, quæ breui assumpturus erat, in Melegnano oppido occubuit, imperijque Mediolanensis partem Ioanni Marię, partem Philippo Marię filijs distribuit, quibus vita defunctis, extincta fuit Vicecomitum



comitum dominatio. Ex his igitur manifestum est, quot, quantosque viros, rerum gestarum splendore illustres, summisque titulis ornatos, protulerit hæc nobilissima Vicecomitum familia, quæ hodie quoque in vrbe Mediolanensi maximam potentiam obtinet. Est etiam Mediolani clarissima Sfortiarum familia, quæ longo tempore toti Insubriæ dominata est. Franciscus enim Sfortia primus a populo Mediolanensi vno ore princeps electus fuit, cum prius Mediolanenses eius opera feliciter vsi essent aduersus Venetum exercitum, quem ipse Franciscus Sfortia magna strage edita ad Carauaggium oppidum fudit. Fuit hic princeps magno ingenio, ac prudentia præditus, quo defuncto, imperium Mediolanense suscepit Galeatius filius, qui in re militari plurimum valuit: sed cum hic Mediolani a ciuibus in templo diui Stephani fuisset interfectus, ducem Mediolanenses eius filium constituerunt, qui cum infans esset, sub tutela seruabatur Bonæ matris, ac Cicci Simonetæ, viri ingenio, ac vitæ integritate clarissimi. Verum cum hic extremum diem obiisset, delatum fuit Imperium Mediolanense ad Ludouicum Sfortiam, qui cognomento Morus appellatus est, non a fusco vul-

C 5 tus co



tus colore, vt plerique existimarunt, sed quod  
mori insigne in vultu ostenderet, vt apud Pau-  
lum Iouium in elogio huius principis legitur.  
Ipse Ludouicus primus ex Sfortiarum familia  
legitime imperium Mediolanense admini-  
strauit, cum illud sibi a Maximiano Cæsare  
solenniter concessum fuisset. Hic princeps sum-  
mis laudibus attollitur a rerum scriptoribus,  
ppter singulares animi virtutes. Magno enim,  
& præstanti ingenio erat, cautus in omnibus,  
ac solers, iustitiæque cultor, virorum litera-  
torum amicus, & fautor, & tanquam Mœce-  
nas. Cum autem apud Gallos obiisset, im-  
perium Mediolanense suscepit Maximianus  
Sfortia Ludouici filius, ac post eum Fran-  
ciscus secundus Sfortia Maximiani frater, quo  
extincto, Sfortiarum quoque dominatus in-  
terit: & ex his clare ostenditur Sfortiacæ fami-  
lie dignitas, cum tot, tantosque principes edi-  
derit regni potentia insignes. Maximam quoque  
dignitatem obtinet in vrbe Mediolanensi  
Triuultiorum familia, ex qua prodiit dux ille  
belli præstantissimus Ioannes Iacobus Triuul-  
tius, qui nullo ex illis veteribus Romanorum  
imperatoribus inferior iudicari debet. Tot  
enim præclara facinora edidit, tot ab hostibus  
victorias



victorias reportauit, tot vrbes, tot castra expur-  
 gnauit, vt nunquam intermorituram esse fa-  
 mam eius, illustreque nomen certissimum sit.  
 Exierunt ex eadem quoque familia Renatus,  
 atque Theodorus Triuultii, qui & ipsi belli-  
 cis ex virtutibus ingentes honores sibi com-  
 pararunt. Bonromeorum quoque familia in  
 vrbe Mediolanensi clarissima est, ac nobilissi-  
 ma, ex qua plurimos illustres, ac summos viros  
 prouenisse manifestum est. Mediolanum quo-  
 que patriam habet Ioannes Iacobus Medicus  
 Melegnani Marchio, qui nunc inter primarios  
 Caroli quinti Imperatoris duces connume-  
 ratur. Tantum est enim in eo consilium, tanta  
 prudentia, tanta rei militaris scientia, vt nihil,  
 quod in summo belli duce requiratur, in eo  
 possit desiderari, quod cum plurima eius insi-  
 gnia, & praecleara facta demonstrant, tum aper-  
 tissime ostendit illustris victoria aduersus Pe-  
 trum Strozam ab eo proxime reportata apud  
 Senensem urbem. Itaque vere possumus hunc vi-  
 rum veteribus illis Scipionibus, Metellis, Fa-  
 biis, Lentulis comparare. Ex vrbe quoque Me-  
 diolanensi prodiit & ille rei bellicae peritissimus  
 imperator Virginus Rufus, cuius res gestas  
 Cornelius Tacitus recenset: huiusque clarissimi  
 viri



viri tumulus est in Alsia pago, in territorio Me-  
diolanensi, ibique legitur hoc epitaphium.

*Hic situs est Rufus, pulso qui vindice quondam,  
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.*

Plurimum quoque in re militari valuerunt  
Datius Mādellus aduersus Fridericum impe-  
ratorem, Antonellus, & Thomasinus Cribelli,  
regnante Mediolani Philippo Anglo Viceco-  
mite, Ambrosius Longinanus, regnante Me-  
diolani Galeatio Sfortia, & Baldefar Lita tem-  
pore Othonis Vicecomitis Archiepiscopi Me-  
diolanensis, cuius meminit Corius in secunda  
parte historiarum suarum. Prætermitto autem  
plurimos alios illustres belli imperatores, atq̃  
ad eos transeo, qui in bonarum literarum stu-  
diis nomen, famamq̃ immortalē consecuti  
sunt, quos progenuit vrbs nostra Mediola-  
nensis. Ex hac enim prodiit Saluius Iulianus  
iureconsultus clarissimus, qui quanto ingenio  
præditus fuerit, intelligi facillime potest ex li-  
bris ab eo doctissime scriptis. Edidit enim di-  
gestorum libros nonaginta nouem, ad Minu-  
tium Natalem libros sex, ad Vrseium Fero-  
cem libros quatuor, de ambiguitatibus libros  
sex: & cum Iustinianus Cæsar statuisset totum  
ius ciuile ad ordinem quendam reducere, ex  
ip̃ius



ipsius Saluii Iuliani libris excerpta plurima fuerunt, quæ nunc in quinquaginta digestorum libris leguntur. Prodiit etiam ex vrbe Mediolanensi Obertus ab Orto insignis iureconsultus, qui consuetudines feudorum scripsit. Prodiit Ioannes Lignanum, vir in iure pontificio peritissimus, qui cum Bononiam maximo honorario accersitus esset, extremum ibi diem obiit. In iuris quoque ciuilibis scientia Signorolus Homodeus Mediolanensis maximam comparauit gloriam, de quo hoc disticon legitur.

*Ingenium uiuax, atque ingens copia legum,  
Vota huius nunquam demoritura probant.*

Christophorus etiam Castellioneus maximam comparauit gloriam, de quo hoc disticon legitur.

*Viuit, & æternum hic uiuet, quem rere sepultum,  
Quid mirum? solo uiuitur ingenio.*

Iason quoque Maynus maximam comparauit gloriam, de quo hæc carmina circumferuntur.

*Quis Maynum ignoret? quo non peruenit Iason?  
Thessalus haud tantum cognitus ille fuit.*

Summam quoque laudem ex iuris ciuilibis scientia consecutus est Philippus Decius, de quo ab Antonio Syluiolo Parisiensi eius auditore hoc elegans epigramma scriptum fuit.

Quintos



Quintos, & Sextos, scriptosque ex ordine patres,  
Et Decios sileat Martia Roma suos.  
Ecce nouus Decius patrie deuotior illis,  
Qui propria ciues asseruere nece.  
Non armis, sed consilijs, non Marte, sed arte,  
Orbis, non urbis munia patris obit.  
Non modo nanque suos Decius, patriosque penates  
Asserit, at cunctis consulit ipse uiris.  
Hic ille est Decius, communem natus ad usum,  
Quem bene munificum publica uota mouent.  
Hic uero Decius quanto prestantior illo,  
Qui Latijs cladem, seuaque damna tulit?  
Ille necis merito prodest, hic munere uitæ,  
Ille quidem imperium prorogat, hic studium.  
Ille facit, quod tum Romanis forte licebat,  
Quid deceat Decius hic facit, atque docet.

Lanzalotus uero Decius Philippi frater ma-  
xime & ipse iuris ciuilibis prudentia ualuit, de  
quo hæc carmina scripta sunt.

Ætas me fratri, fratrem mihi gloria præfert,  
At fraternus amor nos facit esse pares.

Nos uero uidimus, & ius ciuile interpretan-  
tem audiuius Andream Alciatum iurecon-  
sultum celeberrimum, qui propter ingenii ma-  
gnitudinem, & præstantiam, tanquam terrestre  
quoddam numen habitus est. Nec enim so-  
lum iuris ciuilibis prudentissimus erat, sed omne  
callebat



callebat optimarum scientiarum genus, & ideo  
de eo carmen huiusmodi compositum est.

*Consultissimus ornat Alciatus  
Musas, eloquium, sacrasque leges.*

Hac vero tempestate sunt excellentissimi, ma-  
ximique viri, qui ex vrbe Mediolanensi pro-  
dierunt. Habemus enim Petrum Paulum Arri-  
gonum Mediolanensis Senatus Præsidentem illu-  
strissimum, in quo viro omne virtutum genus  
elucet. Summa est in eo probitas, maxima iu-  
stitia, perspicacissimum ingenium, mira pru-  
dentia, singulare consilium, doctrina, rerum  
experientia, fides, æquitas, continentia, de quo  
ipse hoc epigramma scripsi.

*Iustitiæ defensor eras fortissimus olim,*

*O Latij splendor maxime Marce Cato:*

*Verum Arrigonus præstat, quo præside iunctam*

*Æquo iustitiam quisque videre potest.*

Habemus Franciscum Tabernam summum  
in Mediolanensi prouincia cancellarium, vi-  
rum præstantissimum, ac sapientissimum, in  
quo quantum natura posset, facile ostendit,  
cum omnibus illum exornauerit dotibus, quæ  
in summo magistratu requiruntur, ad regen-  
das ciuitates, ad iustitiam administrandam, ad  
iniurias prohibendas, ad populos in pace, ac tran-  
quillitate



quillitate retinendos, adeo ut vir diuinus me-  
ritissime possit appellari, de quo ego carmen  
hoc scripsi.

*Cum magnum natura parens formare Tabernam*

*Aggressa est, ipsam se superasse scias.*

*Huic dedit ingenium summum, cor tradidit altum,*

*Consilium tribuit, contulit eloquium.*

Habemus Franciscum Crassum senatorem,  
ac quaestorum praesidem prudentissimum, de  
quo a me hi versus scripti fuerunt.

*Lucius ut quondam Romana Crassus in urbe*

*Dicendi egregia clarus in arte fuit,*

*Sic quoque Francisco legum prudentia Crasso*

*Illustrem famam contulit, atque decus.*

Est Philippus Archintus, Romani pontificis  
apud Venetos legatus, vir clarissimus, de quo  
ego huiusmodi epigramma scripsi.

*Fulget in Archinto Ciceronis lingua Philippo,*

*In iure aequalis Scaeuola Prisce tibi est.*

*Ut Numa dijs summos fictis concessit honores,*

*Hic sic in uera est religione pius.*

Est Ioannes Simoneta, Laudensis Episcopus,  
ac senator, cuius singularis integritas & virtus  
omnibus est notissima. Habemus Philippum  
Castellioneum, Franciscumque Casatum,  
Protonotarios apostolicos, senatoresque cla-  
rissimos,



rissimos, ac sapientissimos. Habemus Vitalianum Vicecomitem, Ioānem Firmum Triuultium, Dionisium Brippium, Cæsarem Tabernam, viros senatoria dignitate ornatos, omnique virtutum genere cumulatissimos. Habemus Petrum Antonium Marlianum, Alexandrum Vicecomitem, Ioannem Baptistam Raynoldum, Ioannem Baptistam Pectium, senatores amplissimos, ac præstantissimos, quorum singulorum laudes si referre vellem, nunquam mihi dicendi finis daretur. Est Marcus Antonius Caimus, subtilissimus, eruditissimusque iureconsultus, qui & apud Gallos, & in Ticinensi academia summo cum honore ius ciuile interpretatus est, anno vero superiore senatoria dignitate fuit exornatus, meritissime quidem, propter singularem eius prudentiam, doctrinam, probitatem, sapientiam, de quo ego versus hos scripsi.

*Iuris est firmum columen Caimus,  
Est peritorum decus, huic patefcunt  
Cuncta, quæ magnas tenebras habere*

*Iura uidentur.*

*Iuncta doctrinæ probitas in illo,  
Mira uirtutum speciesque fulget.  
Candidus blandus facit ac amicos.*

*Moribus omnes.*

**D**

**Est Ga**



Est Gabriel Panigarola, iureconsultus clarissimus, ac orator facundissimus, cuius laudum tantus est cumulus, vt non nisi a summo ingenio recte possint explicari, de quo a me scriptum est hoc epigramma.

*Gloria Romanæ magna est Hortensius urbi,  
Cui linguæ est partus munere summus honos.  
Addidit orandi uerum quia legibus artem  
Panigarola, ideo maior habendus eo est.*

Est Nicolaus Siccus, iustitiæ præfectus, vir prudentissimus, qui propter eius summum ingenium, ac in quibuscunque grauissimis negotiis pertractandis miram sapientiam maximas laudes meretur. Habemus Octavianum Bignamum iureconsultum præstantissimum, quem quidem iuris peritorum eloquentissimum, ac eloquentium iuris peritissimum vere possumus appellare, cuius ab ore melle dulciorem fluere orationem videmus, dum oppressos reos lingua sua tuetur, dum causas disertissime explicat, dum partium iura subtilissime defendit, de quo ego carmen hoc scripsi.

*Facundam magni linguam Demosthenis olim  
Mirata aspiciens Græcia tota fuit.  
Non admiratur secus o præclare Bigname  
Vrbs hæc eloquij flumina magna tui.*

Legitur



Legitur etiam apud Leandrum Bononiensem in descriptione Italiae Valerium Maximum historicum clarissimum Mediolanensem fuisse. Et Staius Cæcilius insignis poëta, qui inter comicos Volcatij iudicio primas obtinet, patriam suam habuit Mediolanum, de quo a me hoc disticon compositum est.

*Pindarus est Thebis, est Smirnae magnus Homerus,  
Est Mediolano gloria Cæcilius.*

Et quod alicubi legitur Cæcilium poëtam Nouocomensem fuisse, intelligendum est de Lucio Cæcilio, qui fuit Catulli temporibus, nos autem de Statio Cæcilio dicimus. Verum si omnes præclaros aut bellica virtute, aut in diuersis scientijs viros, qui ex vrbe Mediolanensi prodierunt, in præsentia vellem recensere, nunquam huic operi colophonem (quod aiunt) addere liceret. Finem igitur faciam, sufficiatque hoc tempore ista scripsisse, que si probari cognouero, in posterum procul dubio maiora aggredi non verebor.

FINIS.

D 2



*Eiusdem de vrbe Mediolanensi  
Carmen.*

**E** Gregius ductor Gallorum, insignis & heros,  
Creditur hanc statuisse altam Belouesius urbem,  
Quam Mediolanum dixit, quod summa deorum  
Numina mandassent sacros ibi condere muros,  
Forma ubi lanigeræ suis ostentata fuisset.  
Hæc quondam innumeræ urbes ditione regebat,  
Munitasque arces, ac latis oppida muris.  
Illius ac multæ gentes uictoricibus armis,  
Et belli uirtute subactæ iussa subibant.  
Hæc quoque nunc ueteres urbs maxima seruat honores,  
Nullaque uicinis maior consurgit in oris.  
Arcem habet eximiam, cuius structura uidetur  
Admiranda, illam prima inter castra reponunt  
Europæ, ac summis attollunt laudibus omnes.  
Priscaque pyramidum miracula cedere certum est.  
Hæc magna urbs populi numero, uirtuteque præstat.  
Hanc tanquam caput agnoscunt Placentia, Comum,  
Ticinum, Derthona, Nouaria, Lauda, Cremona,  
Vigliueni, Bobijque loca, & quæ nomina summo  
Vrbs ab Alexandro Romano præfule sumpsit.  
Paruit huic Genuæ respublica maxima quondam,  
Vercellæ, Verona, Bononia, Brixia, Parma,  
Vrbs fuit & Phrygiæ sedes quæ Antenoris olim,  
Et Bergomenses populi, Vicentia, & Asta  
Imperium sensere pium, ac dominantia sceptræ,

Quæ



*Quæ Mediolanum summo gestavit honore.  
 Hic sedet illustris sancta gravitate senatus.  
 Hic gravis, excelsus, sapiens, & splendidus ordo  
 Doctorum dirimit lites, ac iura ministrat.  
 Hæc quoque pontifices urbs protulit aurea summos,  
 Et qui Romani imperij diadema tulerunt.  
 Historiæ ut nobis, ac multa volumina monstrant.*

**F I N I S.**






















UVA 00130 001 00960 (17)



253  
PUTEANI

JUREJUR.

antiquorum. Julia

Schediasma

variorumq;  
alia opusc.

BU  
Biblioteca de Santa Cruz

8.960